

Continet hoc volumine **f. d. 10**

1. Diff. de raptu et exore Pauli auct. Knapp.
2. Cura posterior
3. Diff. de Gaudio in spiritu & languam genitio verae religiosiss. Chriſt. Tribus ipsaſc. Fuerſie
4. de naturae et gratiae nego waſſid. Baugarten
5. an et qualem voluntas proficit cogi. Diff. philolog.
- auct. S. Vesper.
6. de cautionibꝫ quicquidam, quae probatōnes dogmatis Philologicorum ex attributis diuinis pietatis ſciderant. auct. Freylinghaſer.
7. Phœbifia Rœpſt und Schuf und F. Ringf. Tobay.
8. Verum veritatem Pedium ratiſtimum Pro- gram. Knapp.

VI
J. IV, 890.

S 13
11w

III 410 ~~of~~ IV 12

F. Haugſer

6 3

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
G A V D I O
I N S P I R I T V S A N C T O
TANQVAM
G E N V I N O V E R A E R E L I G I O N I S
CHRISTIANAE CRITERIO:

QVAM
SVB AVSPICIIS DIVINI NVMINIS
P R A E S I D E
VIRO SVMME REVERENDO AMPLISSIMO
ET DOCTISSIMO

A D A M O S T R V E N S E E

S. S. THEOL. PROFESSORE PVBL. EXTRAORDIN. PASTORE
AD AEDEM B. VLRICI LONGE MERITISS. GYMNASII HALENSIS
SCHOLARCHA GRAVISSIMO NEC NON COLLEGII QVOD IBIDEM
PAUPERVM CVRAM GERIT ADSESSORE
SPECTATISSIMO

PATRONO ET PRAECEPTORE SVO
SVMMA PIETATE AETATEM COLEND
AD DIEM SEPTEMBRIS MDCCLI

H. L. Q. C.

PUBLICO PLACIDO QVE ERVDITORVM EXAMINI SISTET

A V C T O R
V A L E N T . C H R I S T O P H O R V S M V L L E R V S

SANDOA - MAGDEBURGICVS

S. S. THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE CVLTOR.

HALAE, IMPRESSVM APVD I. IVST. GEBÄVERVM.

VIRIS
REVERENDISSIMO
SVMME REVERENDIS EXCELLENTISSIMIS
ATQVE DOCTISSIMIS
IOANNI ADAMO STEINMETZ
MONASTERII BERGENSIS
ABBATI SVMME VENERABILI
DVCATVS MAGDEBURGICI
SVPERINTENDENTI GENERALI
VIGILANTISSIMO
SENATVS REGII SANCTIORIS CONSILIARIO
GRAVISSIMO
FAVTORI AC MAECENATI SVO
INTIMAM
TESTATVRVS REVERENTIAM:

NEC MINVS
HENRICO FRIDERICO ABELIO
SEREN. BORVSS. REGI
A CONSILIIS SACRIS PER DVCATVM
MAGDEBURGICVM SVMME VENERABILI
TEMPLI CATHEDRALIS QVOD MAGDEBURGI EST
PASTORI MERITISSIMO
AVVNCVLO SVO
FILIALI PIETATE AC AMORE PROSEQVENDO
PRO PATERNO AMORE CVRA, ET INNVMERIS BENEFICIIS
QVIBVS PLVRA AVT MAIORA POST PRAEMAT VRVM PARENTIS
OBITVM AB EODEM INDE AB INEVNTE AETATE VIX AC NE
VIX QVIDEM EXSPECTARI POTVISSENT
IN SEMPITERNV M INTIMAE PIETATIS MONVMNTVM:

ET DENIQUE
IOANNI RVDOLPHO NOLTENIO
VETERIS MARCHIAE ET PRIGNITIAE
SVPERINTENDENTI GENERALI
GRAVISSIMO
DIOECESEOS STENDALIENSIS INSPECTORI
MERITISSIMO
PASTORI AD AEDEM B. NICOLAI PRIMARIO
FIDELISSIMO

IN TESSERAM ANIMI SVAVISSIMAM TOT TANTORVMQVE
PER TOT ANNOS COLLATORVM BENEFICIORVM RECORDATIONEM
SVMMA PIETATE AMORE IMMORTALIBVSQVE DENIQUE
GRATIIS RECOLENTIS:

HOC QVICQVID EST SCRPTIONIS
CVM ARDENTISSIMO
PROSPERITATIS ET INCOLVMITATIS VOTO
VNA CVM
ENIXISSIMA RERV M SVARVM COMMENDATIONE
SACRVM

D. D. D.


A V C T O R.



Q. D. B. V.

am naturale mortalibus felicitatis est desiderium, idque tam altas in eorundem animis radices agit; vt illud expellere idem sit, ac ipsam animae vim, quae humanam efficit naturam, eradicare ac destruere. Egregie idem felicitatis studium stabiliunt promouentque et lex a summo Numine naturae humanae impressa, et finis, cui benevolia eiusdem sapientia eos ab aeterno designauit. Quae quum ita sint, venerabunda merito mente Patri pariter et Creatori nostro deuotissimas persoluimus grates, quod eiusmodi nobis spiritum prae reliquis entibus finitis conceferit, qui sempiterno eoque flagrantissimo felicitatis suae desiderio feratur. Verum enim vero quotusvisque eorum est, qui stimulis hisce, vt ita dicam, naturae originis eorum bene memor nunquam non digne vtatur? Compertum habemus, quin immo extra omnem dubitationis aleam est positum, hominibus ratione gaudentibus sine viua boni cognitione felicibus esse non licere, nec satisfieri naturali huic desiderio sine fruitione Dei, supremi boni, quippe quae sola et veram voluptatem, perpetuumque gaudium, in quo felicitas hominum mere consistit, creare potest. O homines felices! O christianos felices nimiumque felices, qui in solo eoque summo hoc bono veram voluptatem, summamque felicitatem suam enixe quaerunt.

Propius haec nos ad scopum, quem nobis metu hisce in pagellis fiximus, ducunt. Nos quidem, quotquot Christo, diuino seruatori nostro, nomen dedimus, actuali eaque efficaci religionis nostrae professione ac exercitio ad aeternam nostram salutem in salutifera cum eodem communione, quae purissima pro nobis exuberat voluptate, adspirare tenemur. Ipsa quoque diuina, quam nos merito gaudemus, religio media salutaria, quorum beneficio voti nostri damnari possumus, largiter subministrat; eadem viam nobis aperit, cui insistentes exoptatissima exquisitissimaque perfundimur voluptate: qua igitur illi tantummodo permulcentur, qui veris religionis Christianae membris iure adnumerari merentur.



Verum iam eheu! quantopere dolendum est, tam multos in praesenti, qua fruimur, veritatis luce a recto aberrare tramite, qui satis temere leuiterque id vnicē quasi agere videntur, vt praefulgentibus veritatis radiis studio perquam nefando oculos p̄aecludant. Quot enim pro dolor! nostra p̄aesertim aetate seſe mouent, qui, licet religionem non cum veste exuant, eamque tamquam iugum sat graue ac moleſtum penitus non excutiant, quacunque tamen vana ſpecie delusi, nubem raro pro Iunone amplexantur? quot dein dantur, qui religionem ipsimet ſibi fingentes, id ſibi ſumunt, vt ſummum rerum humanarum arbitrum erroris culpare temere ſuſtineant? quot denique et hodie in primis reperimus, qui veram religionem p̄ae ſe ferentes, eandem quoquis modo quaſi mutilare conantur; quippe qui in religionis exercitio nil niſi iucunda vanaeque voluptati ſuae blandientia quaerentes, reliqua omnia cane et angue peius fugiunt, eaque quam maxime auersantur.

Quae quum ita ſint, operaे pretium, nec a temporum, in quae incidimus, ratione alienum fore arbitrati ſumus, ſi in hunc campū vires noſtras, quantumuis exigua, periclitaturi, excurreremus. Quum enim ex Clementissimi Patriae noſtræ Patris iuſu, cum quo quidem animus noſter perquam libenter consentiebat, ob beneficium, quod ſtipendii vocant, in nos benigniſſime collatum, ſtudiorum ſpecimen edendum eſſet; idem, quod in frontispicio ſeſe offert, argumentum, ob praeftantiam ſuauitatemque quandam ſingularem, nobis in primis arriſit. Interea non eo certe animo operi huic nos accinximus, quaſi crederemus, maiori nos demonstrationis vi, quam ab aliis factum eſt, Religionis Christianae praeftantiam probaturos, noſtro enim noſmet ipſi pede metimur: ſed vt oſtendamus, nos inter eos eſſe, qui firmiter contendunt, religione Christiana praeftantius nihil, nihil eſſe excellentius. Tu quoque, B. L. quicunque pagellas haſce introſpicere haud grauaris, probe iamiam noueriſ, non optime agi cum homine et iuuene, et, quid valeant humeri, quid ferre recuſent, primum tentante, opus de niue fine vlo librorum ſubſidiorumque adparatu adeunte, rerum tum affluen- tia cum grauitate exſuperans quaſi quod maxime. Aequi igitur bonique consulas hancce, quaſi Tibi offerimus, opellam, inter continuum laborum, qui in Academiis eos faltem, quorum ſtadium citra voluntatem nimis ar- etis limitibus eſt circumscriptum, mirum quantum premuſt, curſum ena- tam ac elucubratam, et diiudicando voluntatem penitus reiicere, ſpem- que plane remittere nolis, eſt, quaſi humillime

Te rogamus.

SECTIO I.



SECTIO I. DE GAVDIO IN SPIRITU SANCTO.



§. I.

Quodsi ens immediate praesens repraesentamus, illud *intuiri* dicimur. Ergo *cognitio intuitiva* seu *intuitus entis* est immediata eiusdem praesentis repraesentatio. Tot igitur dantur intuitus species, quot animae distinguimus facultates cognoscitius. Iam vero ens vel sensibus vel animae ipsi immediate praesens repraesentamus. Prior *cognitio intuitiva sensitiva* seu *externa*, posterior vero *interna* audiet. Haec igitur est repraesentatio entis animae immediate praesentis. Repraesentatio vero quum varios respectu conscientiae, quacum *claritas* eiusdem arcto cohaeret nexu, admittit gradus: Ergo *cognitio et hinc cognitio intuitiva eiusque claritas* varios gradus agnoscit, ideoque maior intuitus minorem obscurat.

Praesentis cogitatio quia est *sensatio*, ex iis, quae in spho adseruntur, prono fluit alueo, quod quaecunque *cognitio intuitiva sensitivationem* includat, id quod et ex ipsa conscientia, quae ab intuitu separari nequit, patet. Hinc ergo *cognitio intuitiva interna* cum sensitib[us] internis coniuncta est, quae ex representatione seu interna animae mutatione oriuntur. Externa vero externas seu sensitivas sensations socias habet. Quaecunque *cognitio vera* audit, si rei conueniens est, seu candeat, prout est, repraesentat. Ergo cum intuitu

tuitu eadem ratione res se habet; et quoniam iutuitus ens immediate praesens repraesentat, non potest non adpetitum vel auersationem excitare, dummodo illud ad statum nostrum referamus; hoc vero *vitam cognitionis* efficit. Ergo cognitione intuitiva est viua, et vita eiusdem varios, ut facile patet, gradus admittit. Omnes praeterea cognitionis uofrae species propria animae vi productae *naturales*, quae vero ab illa haud pendent, *supernaturales* audiunt. Operatio vero supernaturalis quum *miraculum* constituit, liquet, quod cognitio et hinc intuitus supernaturalis in relatione ad naturalem miraculum sit, ideoque a solo Deo produci possit.

§. II.

Bonum.

Bonum est, quod statum nostrum perfectiore reddit. Status vero quum sit vel internus, vel externus: bonum internum et externum quid sit patet. Iam toto coelo bonum *verum*, seu quod re vera nos perfectiores reddit, differt a quoconque sic dicto *adparenti*; (per opposit.) et quodlibet bonum prout vel actu eodem iam iam fruimur, vel adhuc exspectamus, vel *praesens*, vel *futurum* audit; et hoc prout vel firmiter ac indubitate exspectare licet, vel non, vel *certum*, vel *incertum* merito vocamus.

Bonum externum *strictè terrestre*; internum vero *strictius sumptum spirituale* audit, quum latius bonum corporis et animale hoc merito referantur. Varii vero quum dantur perfectionis gradus, bonum, quo perfectiores nos reddit, eo maius erit; ideoque bonum *verum adparenti*, *certum incerto*, bonum denique internum *verum ex-terno adparenti* *praeferendum* est. (per princip. prim. I. N.) Praesentis praeterea instituti indoles aliaeque rationes haud plane proletariae prohibent, quo minus multi sumus in notionibus hisce vberius explicandis, exque metaphysica altius repetendis; quare in sequenti tractatione, vbi facultas nobis sese offeret, vnum modo alterius addere licebit.

§. III.

Gaudium.

Cognitione intuitiva boni *gaudium* sifist; quod igitur est viua entis immediate praesentis, quod nos perfectiores reddit, re-praesentatio (§. I et II), et a voluptate non nisi gradu differt. Hincque *gaudium et sine bono*, quod intuemur, cogitari nequit, exque maius est, quo maius bonum pro obiecto agnoscit; et intuitum necessario requirit, exque perfectius est, quo clarior, verior, et magis viuus intuitus adest.

Quod.

Quocunque ergo gaudium ex perfectione status nostri oritur: (§. II.) Quo perfectione ille redditur, et quo maiorem eiusdem intuitum habemus; gaudium eo maius erit. *Summum ergo gaudium ex intuitu Entis perfectissimi ad nos relati, seu, quod idem est, summi boni resultat.* Omne quoque gaudium cum sensatione iucunda coniunctum est, (per definit.) quae ex intuitu boni vel praesentis vel futuri oritur, dummodo hoc ob certitudinem tanquam immediate praesens praesentamus. Et denique quodlibet gaudium est vel terrestre, vel spirituale, (§. II.) et hoc vel naturale, vel supernaturale esse potest (§. I.).

§. III.

Spiritus sanctus tercia Deitatis persona in adplicanda hominibus salute per Christum parta pree reliquis duabus Deitatis personis adpropriative est occupatus. (per Theol. Dogmat.) Iam quum tota gens humana, tristi experientia teste, cui sacra scriptura satis clare adsentitur, in praesenti statu naturali summa miseria prematur, maximaque corruptelae succumbat, Iob. XIII, 4. Ioan. III, 6: tantum abest, ut eadem salutis huius adplicationis, et communionis cum Deo, quae ab eadem segregari nequit, in eodem statu, quam diu paries ille intergerinus manet, Esaiæ LVIII 2 particeps fieri queat, ut potius mentis mutatio illam necessaria sit, quam quod maxime. Haec igitur fundamenti instar, qua reliqua omnia in restauranda ipsorum salute superstrui queant, supponenda est, et Christus, eiusque meritum, tanquam unicus et maxime necessarius omnis salutis fons, hominibus patescere, communionisque cum eo, et omnigenae, qua illa exuberat, salutis desiderium ita iisdem excitari debet.

Confer hac de re *Viri summe Reuerendi D. BAVMGARTEN* Theolog. Moral. §. 45 - 57 seq.; quem quidem Virum omni elogio maiorem et ego in primis fero in oculis, eidem ob innumera per totum adeo studii academici cursum in me collata beneficia ad tumbam usque intima pietate, summaque reuerentia quam maxime deuinctus.

§. V.

Quod spiritus sanctus cum animis hominum in singulari relatione, Spiritus Sanctus operatur in hominibus.
sacrae paginae dilucide docent, ita ut radiis suis praefulgentibus laboreret, obscurare quasi videatur. Claris verbis de eodem adfirmsat facer codex, quod oculos nostros aperiat, eosque illuminet,

B

net,

net, seu, quod idem est, et status nostri miserrimi atque corrupti, (§. III.) et eximiae, omniisque praedicatione maioris salutis, per Christum reparatae, cognitionem intuituam supernaturalem in nobis operetur, Ephes. I, 17. 18. Ioan. II, 27. 28. Quin immo omnes operationes, quarum beneficio gratia Dei nobis, nihil tale prorsus merentibus, offertur, eidem tribuuntur Esa. IIII, 4. Cor. VI, 11; quas quidem ad unam omnes magnus ille gentium Apostolus summatis complectitur Cor. XII, 3. Quae cum ita sint, quam diu auctoritas sacrae scripturae firmo stat tali, quis dubitaret, quin spiritus sanctus in animis hominum mutationes producere possit, ac vere producat?

Possibilitatem actionum unius spiritus in alterum ratio ex essentia spiritus, quippe qui substantia est intellectualis, ideoque principium actualium determinationum in se continet, ut et ex nexus omnium entium simplicium quodammodo euincere amittitur; cui quidem experientia, quae eiusmodi nexus inter animos hominum actu deprehendit clare adsentitur. Nexus vero quum differat, prout ratio, quae in altero connexorum latet, hic, quem *exigitium* vocare licet, toto coelo differt ab illo, de quo in sphero loquimur, qui *efficiens* audit, et non nisi summo ac perfectissimo spiritui, omnium reliquorum spirituum origini, proprius manet: quia animae humanae in seriem simultaneorum et successuorum non ita referendae sunt, ut earundem mutationes a coëxistentibus antecedentibusque efficienter pendeant. Quod vero adserta in sphero Spiritui sancto hanc exclusivam tribuantur, ex ipsa operum attributiorum notione facile patet. (per Theol. Dogm.)

§. VI.

Gaudium in spiritu sancto est boni omnigeni, quod ex me-spiritu sancto rito Christi ad nos relato profuit, intuitua cognitio a spiritu sancto producta. Vniuersali enim eique perquam miserae hominum sorti sine Christo eiusque merito illa medela adferri nequit (§. III.) Ebr. V, 9. Act. IIII, 12. Iam vero quum nemo mortalium in statu naturali communione cum eo fruatur (per §. cit.): meritum eius ante ad nos referatur necesse est, quam bona, quibus exuberat, intuitua cognoscere, iisque frui possimus (cf. Theol. Moral. cit. §. 67). Quia igitur in iustificatione, quae genuinam mentis mutationem supponit, veraque fide nititur, (per Theol. Dogmat.) Christus totus eiusque meritum fidei im-

puta-

putatur ac vere tribuitur: Phil. III, 9. Coloss. II, 6. 11. Ergo iustificatione necessario opus est ei, qui bona, quae in Christi merito latent, intueri cupit; deinde, quum homines sibi met ipsi relieti tantum absit, ut miseria hacce emergere possint, ut eandem non solum non agnoscant Jer. III, 13. Apoc. III, 17; sed meliori viae aliunde cognitae cunctis viribus oblucentur Act. VII, 51; et summa denique in spiritualibus coecitate et infirmitate laborent, Psalm LIII, 4. 1 Cor. II, 9. 14. Ephes. V, 14: Ergo spiritus sanctus summae aequae ac vniuersali huic corruptioni opem ferat, meriti Christi mere gratuiti (Rom. III, 24.) nos participes reddat, et bona, quae in eo latent, intuitui nostro subjiciat necesse est. (§. III. et V.) 1 Cor. II, 10. Hinc ergo definitionis nostrae realitatem satis euicisse videmur. Ex eadem vero aliam deriuare, facillimi foret negotii. Sic e. g. idem gaudium definire possemus per intuitum communionis nostrae cum Deo, ceu summo Bono, quae eandem mentis mutationem, ac meriti Christi ad nos relationem, vi suae ipsius indolis, supponit, Act. XXVI, 18. Ioan. XIV, 6. (cf. Theol. Moral. cit. §. 67 cum schol.) et libr. symbol. in catechismo maiore Part. II. Art. III. pag. 496 edit. Lips. vbi *Lutherus totus nobiscum confert: siquidem, inquiens, neque ego neque tu quicquam de Christo scire possemus, aut in eum credere, aut pro Domino consequi, nisi per Euangelii praedicationem Spiritus Sancti opera nobis offeretur, et ultra donaretur.*

Hinc patet, quod gaudium in Spiritu Sancto supernaturem vim supponat, ideoque propriis viribus humanis earumque contentione produci nequeat; (§. I.) licet easdem omni utilitate hac in re, praecipue in gaudii huius et duratione et quantitate, carere negemus; porro, quod gaudium hocce non nisi in homine regenerato et iustificato locum habeat; ideoque vere fidelibus proprium sit, et iure meritoque inter iustificationis fructus referatur; (cf. Viri Summe Reuerendi D. BAVMGARTEN Thes. Theol. Part. II. Art. VII, §. 6. et 9.)

Denominatio gaudii huius terminus *χαρά ϕόσ* est, desumpta ex Rom. XIII, 17, vbi legitur *χαρά ἐν Πιθανωτί σώσιος*. Quemadmodum enim adiuncta haec ultima verba ad triplex praecedens nomen, quod excipiunt, merito referimus; ita vocula in hoc loco et ordinem in quo coll. 2 Cor. V, 17, et praecipue caussam efficientem sive auctor-

rem determinare videtur, Luc. IIII, I. coll. Math. IV, I. Rom. VIII, 15, quasi dixisset: *βασιλέως τοῦ Θεοῦ ἐστιν καὶ χαρὰ ἐν ποιησίᾳ τοῦ Πνεύματος ἡγίου, καὶ ἀπὸ τοῦ Πνεύματος ἡγίου ἐπεργούμενην*; unde idem gaudium I. Theff. I, 6. vocatur *χαρὰ τοῦ Πνεύματος ἡγίου*.

§. VII.

Origo ac causa efficiens gaudii in spiritu sancto supernaturali Spiritus eiusdem mere diuina patet. Enim vero ne eidem illud exclusiue

Sp. S.

tribuere videamus, licet ex §pho V. contrarium potius adparat, et praeterea exinde quod gaudium in Spiritu Sancto fructus sit iustificationis applicatae (per §. VI.) fluat, quod eundem cum iustificatione auctorem, Deum scilicet triumum requirat: (per Theol. Dogmat.) tribus tantummodo verbis unum alterumne de origine eius hoc loco adferre nobis liceat, uberiorem huius rei expositionem systematis Theologicis relicturis. Quemadmodum enim gaudium hocce transitu spectatum, tanquam actionem, ut dicunt, ad extra Deo triuni merito acceptum referimus, Rom. XV, 13: ita speciatim

I. *Pater* auctor huius gaudii est, quippe quem in salutis nostrae oeconomia aeterni illius aequa ac mere gratuitia, de seruandis hominibus, decreti auctorem pie veneramus, Eph. I, 4; qui deinde quoque filium suum vnigenitum, unicum pacis et gaudii spiritualis restauratorem, in eorundem gratiam misit, quocum ipsemet quidem quaevis bona a se eos sperare iubet Gal. IIII, 4. Rom. VIII, 32; Post communioni suae, de qua vnicet vere gaudere licet, (§. VI.) eosdem restituere quam maxime allaborat Ephes. I, 3. I Petr. I, 3; et denique tanquam Pater spiritualis, iisdem amicus restitutus, donum hocce supernaturale spiritualibus filiis suis defuper largitur, Jac. I, 17.

II. Nec minus *Filius Dei*, praeterquam quod primarium gaudii huius obiectum sit, eiusdem auctor censendus venit. Non enim solum una cum pace spirituali, illud promeruit Ephes. II, 14. 15. Ebr. XII, 2. Ef. VIII, 6, et ἀστέρων adhuc illud dare promisit Ef. LXV, 13 seq. sed etiam efficienter illud operatur ac applicat Ef. LXI, 3. C. LXVI, 13 seq. id quod suauissima eius vox, quae peccatores, surda conscientiae verbora sentientes, ad meliorem vero frugem redeuntes, quin immo quamplures, quos

summa

summa moestitia oppressos offendebat, bono animo esse iubebat,
satis superque testatur Matth. IX, 2. 22. Joan. XVI, 13.

III. *Attributiae vero et adpropriative Spiritus Sanctus id ipsum sibi vindicat, ut cum totius salutis nostrae per Christum reparatae applicatione (§. IV.) gaudium hocce efficaciter coniungat. Quum enim sine Christo eiusque merito, per fidem applicato, hocce gaudium plane locum non inueniat; Spiritus Sanctus vero Deum, et Christum in primis in nobis glorificet, Rom. V, 5. Joan. XVI, 14, et fidem saluiscam in nobis producat, ita ut inde τὸ πνεύμα τῆς πίστεως vocetur 2 Cor. IV, 13. Ergo eundem primario gaudii huius auctorem vocare licet. Vnde quoque hoc gaudium eidem non nomen suum modo debet: (§. VI.) sed ille ipse in facris paginis variis denominationibus exinde desumit insignitur; v. c. ex Ps. XXXXV, 8. facile adparet quod ipse ibidem sub nomine τῷ ἡλιῳ τοῦ λαριταῖς veniat; (cf. Act. X, 38. Ebr. I, 9.) nec abs re fecisse videmur, si eo quoque nomen τῷ παρεκλήτῳ ex ipsissima seruatoris nostri explicatione retulerimus Joan. XVI, 7. 6. 13. Gal. V, 22.*

Digna omnino sunt, quae cum prolatis in ḥpho, eiusque membro II conferuntur verba, quae deprehendimus in oratione Seruatoris fæcordotali Ioan. XVII, 13. ex quibus non solum patet, abitum eiusdem ad Patrem (in eo enim erat Iesu haec effatus, ut viam innumeris calamitatibus obſidam, Gethſemanen versus pro nobis ingredetur cf. Ioan. XVIII, 1.) et intercessionem efficacem ac meritoriam esse vnicum eumque maxime salutarem gaudii huius fontem, sed in primis verba ista οὐ καὶ οὐδὲ non solum gaudium, quo seruator suos complectitur, quodque de illis intimis gaudet ex medullis, sed etiam obiectum et praecipue cauſam eiusdem efficientem innuere videntur. (cf. Ioan. XIV, 27.) Easdemque fere preces fæcordatales seruator noster ξένος ad Patrem pro fidelibus suis fudit, Ps. XXXX, 17.

Tertio ḥphi membro calculum quasi adiciunt verba, quae legimus Röm. XV, 13; comma enim adnexum (τὸ δούλειον Πνευματος ἡγετοῦ) quare non ad totum præcedens Apostoli votum referamus, quid obſtet, non videamus. Similiter vero ex toto ḥpho quisque facile intelliget, non esse in nobis quidpiam, quod vel gaudium illud producere, vel Deum mouere possit, vt dono hoc ἀνεκλαλήτῳ nos impertiatur, sed merā potius eamque aeternam in nos, nihil prorsus tale proueritos, Dei gratiam hac in re omne plane punctum ferre. Luc. I, 47. 77. 78.

§. VIII.

Ordo salutis Gaudium in Spiritu Sancto supernaturalem originem, (§. in quo gau. VI.) Deumque ipsum auctorem requirit, (§. VII.) hic vero diuinum in Sp. et in regno gratiae secundum ordinem quendam, quem sibi ipse S. producitur imperat, ac mediate nobiscum agit, id quod et sapientiae fuae perquam est consentaneum, (per Theol. natural.) et luculenter sacra scriptura confirmat: *Ergo uniuersalis ille salutis ordo et hoc loco in censum venit*, qui videre est Act. XXVI, 18. C. XX, 21; et hinc salutaris illa *meritaria* mentisque mutatio, in qua secundum Apologiam Art. IV. p. 125 fides existit, perquam est necessaria, si gaudii huius supernaturalis compotes fieri cupimus. id quod ex Spho VI. coll. Marc. I, 15. Joh. III, 5. cum Rom. XIV, 17. satis clare adparet. Nam et hic valet:

Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis, acescit.

Et hinc ergo patet, meram Dei gratiam eamque conuertentem, seu medicinalem necessario requiri, si gaudium hoc in nobis produci debet, quae, licet a gratia iustificante seu morali, quae hic quoque in censum venit, vere differat, cum illa arcto tamen nexus non potest non coniungi, praeſertim quum in Deo vnam eandemque virtutem constituant. Scopus, quem nobis fiximus, ulteriorem ordinis huius disquisitione iamiam interdit, cf. D. Buddei Institut. Vtheol. Dogmat. Cap. III, §. 29 sq. Hoc tantum adhuc addere licet, quod nimurum, licet gaudium hocce supernaturale in relatione ad mutationes regni naturae miraculum Dei requirat, in regno gratiae longe aliter fere habeat, cf. Theol. Moral. saep. cit. §. 65 fin.

Mirum quantum, id quod facile adparet, haec quam requiri mus, *meritaria*, quamque facer codex haud raro respicit, si tristitia illius salutaris a gaudio hoc dulcissimo excipiendas mentionem facit Ef. LXI, 3. 10. 11. Ps. LI, 10. 14. cf. Ioann. XVI, 20. 2 Cor. VII, 10. 11. differt et a philosophica illa sic dicta conuersione, quo homo, communionem cum Deo anhelans, propriis viribus eandem consequi studet, quippe quod studium nimium sui ipsius amorem, nilque nisi imbecillitas, ac mortis spiritualis ignorantiam prodit; et a fanaticorum conuersione, ad Stoicorum sic dictam *ἀπόθεσιν* et *ἀναδη-*
στίν proxime referenda, qui scilicet animae facultates non emenda re, sed per excitatum lumen internum, quod sibimet ipsi singunt, potius coērcere ac supprimere, quam emendare allaborant; quod quum sit contra animae humanae naturam, absurditas eiusdem ex principiis psychologicis iam patet; et ab istorum denique mutilata, vt ita dicam, conuersione, qui veram eius indolem a Deo praesciri

ptam

ptam satis proterue peruerunt, dum legis fulmina, doloresque infernales, qui, vt Lutherus ait, per eandem excitantur, perhorrescentes, ex Euangelio solo eiusque solamine veram *meritorum* profluere temere fibi persuadent; quo de postremo momento pluribus conferatur. Difserit. sub Praefidio Viri S. V. D. BAVMGARTEN a M. Bruhn habita: de variis modis abutendi Euangelio.

§. IX.

Media, quibus Spiritus Sanctus in producendo hoc gaudio utitur (§. VIII.) *ex parte sui sunt Verbum Dei et Sacra menta.* Per verbum Dei hoc loco *Euangelium*, idque exclusiue intelligimus, licet tantum absit, vt legis vsum in antecedenti opere conuersioris plane reiiciamus, vt eam ibidem valde necessariam esse, contra aduersarios fortiter adfirmemus. (p. proxime anteced.) Lex enim non iustificat, sed euangelio hoc proprium manet Rom. III, 21. 28, cf. Apolog. Art. II. p. 66. 67. Ergo per Euangelium modo bona, quae Christus restituit, ad nos referuntur, quo et ipsa Spiritus Sancti collatio pertinet Gal. III, 14. 2 Tim. I, 10. Quippe quod et meritum Christi, Deique gratiam exinde profluentem nobis declarat, 2 Cor. V, 18. 19; et viam, qua illius participes redi possimus, quae fidem nimirum, ex Euangelio oriundam, complectitur Joan. XVII, 20. Rom. X, 17. 16. aperit; et bona denique omnia, quae ex vnione cum Deo in nos redundant, continet Col. II, 2. 3, eaque cum ipso gaudio hoc spirituali, in cuius gratiam nimirum datum est. 1 Joh I, 4, nobis suauissime delineat ac adplicat, id quod denominationes, quibus insignitur, egregiae facile euincunt. 2 Cor. V, 19. Eph. VI, 15. Ergo Euangelium eas, quas ei tribuimus, partes optime sustinet.

Ad *sacra menta* quod attinet: ope *baptismi* in vni onem cum Deo suscipimur, id quod verba εἰς τὸ ἄνοιξα etc. Matth. XXVIII, 19. satis aperte indicant; in primis vero in eodem induimus Christum Gal. III, 27. i. e. vt B. Lutherus rite explicat, cum Christo iustitiam eius omnemque salutem recuperamus. Ideoque baptismus sacra scriptura teste ἐπερώτημα αὐγαθῆς συνειδήσεως εἰς Θεόν audit, 1 Pet. III, 21, et ex hoc effectu ad gaudium in Spiritu Sancto producendum mirifice facit. In *sacra coena* cum Christo, in cuius communione pax, iustitia et gaudium floret, intime vnimur, 1 Cor. X, 16; et quemadmodum gaudium hoc spirituale in baptis-

mo

Media ex
parte Dei.

16 *Dissertatio theologica de gaudio in spiritu sancto*

mo fundatur; ita in sacra coena idem magis confirmatur ac auger-
tur. Ergo vtrumque sacramentum salutare gaudii huius produ-
cendi medium esse merito adfirmamus.

Quicunque ergo media ista plane reicit, vel iisdem non eo, quo
debet, modo vtitur, gaudium in Spiritu Sancto modo ordinario
consequi nequit. Verum enim vero quum haec sint media ordina-
ria, Deum alio modo inculpabilem eorum defectum compensare,
aut extraordinarie absque illis mediis hocce gaudium hominibus con-
ferre posse, minime negamus. Quod enim Deus ad media, qui-
bus nos alligavit, non sit adstrictus, docet exemplum Iohannis Ba-
ptistae Luc. I, 41. cum reliquis fidei heroibus in V. T., quibus gau-
dium in Spiritu Sancto denegare, nimis temerarium foret.

§. X.

*Ex parte
hominis.*

*Ex parte hominis fides salvifica palmarium gaudii huius ac-
quirendi medium est;* id quod ex ipsa fidei natura facile patet.
*Ita enim quum sit fiducialis assensus in merito Christi, et per
Christum in Deo repositus, supponit viuam omnigeni boni,*
quod in Christo et per Christum in Deo nobis aperitur, cogni-
tionem, Ef. LIII, 11. Joan. XVII, 3. Phil. III, 8. 10. Intimam
deinde complectitur de diuinis promissionibus conuictionem, cui
quidem firmus adsensus, ardensque desiderium honorum, qui-
bus promissiones exuberant, fruendorum respondeat, Ebr. XI,
2. Accedit denique viua fiducia in Deo reposita, quam fides tri-
etiissimo significatu comprehendit Phil. III, 9, quae in ipsa bono-
rum ab eodem exspectatione consistit, et manus instar, seu ut
εργασον ληπτικόν Christum cum omnibus ab ipso partis bonis arri-
pit, suumque plane reddit, id quod Paulus 1 Tim. VI, 12 indi-
gitare videtur. Quac quidem naturae fidei resolutio, praeser-
tim si perpendierimus, fidem etiadem cum gaudio in Sp. Sancto
originem habere (§. VII.) 1 Cor. XII, 3. 2 Cor. IV, 13, facile
euictum dabit, singulas eius partes ad hoc producendum nimium
quantum conferre, eoque magis nobis hoc loco brevioribus esse
lincebit. cf. M. Chemnitii Loc. Theol. part. II. p. 251. item Hol-
latz Exam. Theol. Part. III. p. 1180 seq. recent. edit.

Et hoc modo theorema hocce resolui potest: Fides quia est causa
instrumentalis, applicatoria et adprehensiva iustificationis, (per Theol.
Dogm.) gaudium in Spiritu Sancto vero eiusdem fructus: (§. VI.)
Ergo firmo denuo stat tali, quod gaudium in Spiritu Sancto salu-
taris sit fidei fructus. Consentit Apologia Art. II, p. 97: *Fides in
corde*

corde parit pacem, gaudium, et vitam aeternam. Non vero quaecunque fides imaginaria, id quod facile patet, eas, quas in ḥpho euicimus, partes sustinebit, quippe quae verae fidei saluificae propriae manent, illaque eo magis improbanda venit, si non eo, quod in ḥpho VIII. exposuimus, fundamento innititur. Veram autem fidem eosdem, quos singulae eiusdem partes admittunt gradus, agnoscere debere, liquet.

Quum gaudium, quod disputamus, salutaris sit fidei fructus, tuto adfirmare licet: Vbi gaudium in Spiritu Sancto vere deprehenditur, ibi est vera fides. Cae vero hanc propositionem univerasiter affirmantem simpliciter, vt Logici aiunt, conuertas, hoc modo: Vbicunque vera fides est, ibi est gaudium in Spiritu Sancto, id quod regulis logicis de conuersione propositionum e diametro contrariaretur. Quod fides mortua hic plane non in censum veniat, ex aduersitatis ḥphi per se patet. Enim vero et fides vera ac saluifica varijs vicissitudinibus obnoxia est, quae vel a studio nostro in gratia, quam Deo acceptam referre debemus, rite applicanda, vel a sola sapientia diuina pendent, ita vt caussas eorum inuestigare nobis non datum sit. In primis igitur, canonis illius triti bene memores, gradus rem non variare, in fententiam M. Chemnitii imus, qui Loc. Theol. Part. II, pag. 252: *de fide*, inquit, *non est statuendum ex sensu gaudii spiritualis, quia ille gradus sequitur fidem, non est de essentia fidei, et Deus sensum illum pacis credentibus saepe subtrahit.* Quae quum ita sint, *paupertas spiritualis*, qua animus in viuo miseriae sua sensu gratia diuina plane indignum se cognoscit, et salute sua in solo Christi merito reposita, Dei in misericordia tacitus acquiescit, itidem veram fidem sibi vindicat, id quod inde liquet; quia et fidei definitio, in ḥpho allata, quia notas essentialies in eam quadrat; et eadem cum eo, qui gaudio in Spiritu Sancto fruitur, bona, quae scilicet in Christo tanquam centro confluunt, arripit Pf. LXX, 26. 2 Cor. XII, 9; et quia Christus denique, optimus veritatis testis salutem illi in primis tribuit, Matth. V, 3. Ergo praecipuum, quod gaudium in Spiritu Sancto et paupertatem spiritualem intercedit, difciri men in eo consistit, vt in hac intuitus labis spiritualis clarior ac fortior sit, quam intuitus bonorum, quae in Christo latent, ideoque ille hunc quadammodo obseuret atque infirmet (§. IIII.). Ergo et hinc patet, quam oppido illi errent, qui vel fidem veram in fensionibus internis mere iucundis ponunt, vel earum continuam in credentibus praesentiam requirunt. Tantum vero abest, vt nosmet fidem in ḥpho exclusive allegemus, vt potius, nisi propositi limites breuiores nos esse iuberent, media ex parte nostri secundaria vltius persequeremur. Tribus igitur tantummodo verbis unicum ad-

huc indicamus, nimirum *preces*. Seruator enim ipse huius rei ergo discipulos suos ad preces, easque praecipue in paupertate spirituali susas, id quod verbum *arcta*, quod in primis de mendicis usurpatur, indicare videtur, excitat Ioan. XVI, 24; et in optima illa orationis formula, quam iisdem Matth. VI, 10 dedit, disertis verbis orare iubet: *adueniat regnum tuum*; id quod ex Pauli interpretatione et gaudium in Spiritu Sancto comprehendit Rom. XIV, 17. Accedit denique exemplum Davidis, qui Ps. L, 14 preces ad Deum simplex fundens: *Redde mihi*, inquit, *gaudium ex salute tua*, cum *Spiritu Sancto* v. 13. ablatum.

§. XI.

*Subiectum
quod.*

Haud abs re facere videmur, si breuitati licet inseruientes ex §§. proxime praeced: gaudii huius supernaturalis *subiectum* deriuemus, idque, ut a *subiecto quo eo* melius distinguamus, cum scholasticis *subiectum quod* adpellare licebit. Gaudii nimirum in Spiritu Sancto non capaces solum sunt, sed in statu quoque ordinario, saltem qua fundamentum, participes sunt omnes ac soli, qui in ordine salutis, a Deo praescripto, veram in Christum fidem consequunt, per eandem iustificati sunt; Ps. LXVIII, 4. Ps. LXIV, 4. Ps. XL, 17. Ps. XXXI, 11. Ef. LXIII, 10. 1 Thes. V, 16. coll. 5. licet actu iidem haud continuo, praesertim in statu extraordinario sentiant; qui sensus tamen vel plane, praecipue si gaudium hocce strictius, vel qua maiorem aliquem gradum, id quod infra parebit, haud sumseris, vel diutius vi qualitatis subiectuuae cessare potest Joan. XVI, 20. Ideoque et hoc referendi sunt, nec penitus excludi debent *homines tentati*, qui sub viua defectuum ac infirmitatum suarum cognitione ingemiscunt, maximeque anguntur Ef. LXI, 3; quia *primum* veram habent fidem, id quod flagrans desiderium, quo in Christum, qui gratiae suae sensum ipsis subtraxit, feruntur, (§. X.) Ef. XXXVIII, 13 seq. satis declarat, ergo et iustitia Christi, et fructus iustitiae plane deesse nequeunt Ef. XXXII, 17; *Deinde* quia Christus singulari modo iis praefens esse, gratia sua eos permulcere promisit Ef. LVII, 15. C. LXVI, 2. Ps. XXXX, 19. Matth. XI, 28. Ergo in eodem gaudio quoque hoc spirituali fruuntur; et quia Spiritus Sanctus denique singulari modo in iis operatur, id quod ipsi eorum gemitus satis superque probant Rom. VIII, 26. *Aitu* vero illud sentiunt, in quibus Spiritus Sanctus intuituam omnigeni boni,

boni, quod in Christi merito deprehenditur, promouet cognitionem, et qui ideo in Christo omnis salutis genere vere fruuntur. Cf. XXXV, 24.

Ipsi igitur fidei desertores, seu apostatae, quam diu in statu gratiae perseverant, merito hoc referuntur, Ebr. VI, 4 seq. Praeterea vero ex iis, quae attulimus, fluit, quod fideles V. T. gaudio hoc excludere, idque praerogatiuum solis, qui noua Christi oeconomia fruuntur, proprium autumare, nefas foret, quam iisdem nec fidem in Messiam, nec iustificationem denegare queamus, et testimonia satis clara in eadem scripturae sacrae parte idem illud satis superque comprobent, ex quorum ingenti numero vnicum Psalmum XXIII allegasse sufficiet; quamvis ceteris paribus fideles N. T. maiori gaudii huius gradu perfrui posse, hanc diffiteamur. Idem, quod de prioribus adfirmauimus, de infantibus pro receptinitate subiectiva contendere licet; utrumque vero fusius probare propositi limites haud permittunt.

Insimil hisce cum assertis coniungere liceat *subiectum*, vt aiunt, quo, quod quidem *primario* est spiritus hominis vere creditis, seu anima rationalis, id quod ex gaudii ipsis natura (§. VI.) Luc. I, 47. El. LXI, 10. adparet. *Secundario* vero et corpus ob immediatum cum anima consensum, intimamque harmoniam plane excludi nequit, quamvis non semper, sed raro sensationes hae sensitivae iucundae cum gaudio hoc spirituali connexae sint, Ps. LXXXIV, 3. I Pet. 1, 8. Utrumque haud abs re coniunctum videtur in Ps. XXXII, 11, vbi ἡλιξ Ebraicis idem quod εγαλλαζεις Graecis esse videtur.

§. XII.

Gaudium in Spiritu Sancto, vt ex §pho VI. facile adparet, vel transiue, vel intransiue considerari potest; nosmet postea-
rius iamiam magis spectamus. Bona, de quibus gau-
demus.

Gaudium, quodcunque sit, sine bono, quod intuerit, cogi-
tari nequit. (§. III.) Ergo et gaudium in Spiritu Sancto. Bona, quae hic in censum veniunt, summa quidem et maxima in merito Christi tanquam centro confluunt. (§. VI.) Eadem vero paulo vberius exponere superuacaneum haud arbitramur.

Primum igitur locum hic obtinet Deus ipse per Christi expiationem nobiscum reconciliatus Cf. XXVI, 8. Ps. XXXVII, 4. Quem quidem licet merito tanquam summum bonum veneremur: (per theol. natural.) cf. Ps. LXXXIII, 25 seq. fauore tamen ipsius gratioso

sine Christi merito ad nos relato frui nequimus. (§. III.) Ex vnione vero cum eodem, per mediatorem restituta, intima bonorum, quibus abundat, communio resultat, 2 Cor. VI, 16;

Deinde in primis Christus ipse eiusque satisfactio vicaria hoc referri debet, ex quo salutiferi fontis instar Es. XII, 3 reliqua bona ad vnum omnia deriuare licet Es. LXI, 10. Luc. I, 47; vnde Psaltes sacer Ps. LI, 14. gaudium ex salute tua scil. oriundum commemorat, quod LXX. Interpretes recte τὴν ἀγαλλασσίν τὸ σωτηρίον reddunt.

Denique autem ipsa innumera, quae ex nostra cum Christo communione largiter profluant, bona huc spectant, quae et ad hanc et ad futurum vitam latissime fese porrigitur.

Immensus nobis hic ingrediendus esset campus, si fusius ea modo, quae verbis exprimere fas est, quaeque Antistites sacri graphicē depingunt, explicare vellemus. Vnum igitur alterumque palmarium bonum leuiter tantum attingere sufficiet, et tunc merito hoc referimus, et pacem cum Deo, quam si subiectiū spectaueris, sub gaudio in Spiritu Sancto latius sumto omni iure complecti licet; quamuis si ab hoc strictius sumto eam distingue re placeat, illam definiamus, quod sit intuitua cognitio nostrae cum Deo per Christum factae reconciliationis Es LXI, 10. Coloss. I, 10; cum qua pax in Deo, sive pax conscientiae, Matth. XI, 29. arcta est connexa; ex hac vero gaudium in Spiritu Sancto quasi profluit, ita ut gradu ab eadem tantum hoc differre videatur; et adoptionem diuinam, seu specialissimam Dei ad nos relationem restitutam Ephes. I, 5, Gal. IV, 5, cum qua quidem ius aeternae salutis hereditarium proxime cohaeret Rom. VIII, 17; et collationem Spiritus Sancti eiusque operationum ad salutem nostram maxime necessiarum, quarum partim conscientia iamiam fruimur, partim eas a Seruatore nostro ex promissis suis expectare licet Joel III, 1. Eph I, 13. Apoc. I, 8; et imaginis diuinae restitutionem ac renouationem Ephes. IV, 24. Luc. X, 20; et, ut paucis denique multa complectar, omnium diuinarum promissionum, quae per Christum canalis instar in nos profluunt, complementum Ps. XXIII, 1. Ephes. I, 3. Es. XXXXV, 24. 2 Cor. I, 20.

Egre-

Egregia haec bona, animae intuitui patentia, quin gaudium dulcissimum creare possent, quis dubitaret? Verum enim vero nouum quasi lumen oboritur, dulcedinemque antecedente longe maiorem suauoremque iisdem vere in Sp. Sancto gaudi persentisunt, si ipsis eodem superiore spiritu adflatis, innumera aequa ac aeterna bona, quae olim eos manent, mente in hac iamiam vita praecipere licet Ps. XVI, 11. Ps. XVII, 15. Ea enim fidei est indoles, ut eiusmodi bona futura quidem, attamen ex promissionibus diuinis certissima sensu quasi anticipet, iisque praesentium instar maxima cum voluptate perfruatur (§. III.) Ebr. XI, 1. Id quod egregium Pauli effatum 2 Tim. III, 8. satis declarat, qui de corona futura capiti quasi iamiam imposita laetabundus gloriabatur cf. 1 Tim. 6, 12. Viua praeterea spes, fidus fidei comes Ebr. X¹, 1. genuinis Christi affecis in tenebris vel spississimis, mediaque in via multifariis molestiis obsita, locum quasi e longinquō conspicendum praebet, qui fessis refrigerium promittit, gaudiique, quod hisce in terris vere quidem, non vero maximo gradu percipiunt, pollicetur complementum. O praeclara aeternaque et incomparabilia bona, quae omnia singulaque ex solo Christi merito in nos profluent!

Quo maiora bona intuemur, eo maius gaudium exinde resultat. (§. III.) Bonis vero hic enumeratis in hac vita quis sibi fingeret maiora? (cf. §. II. vbi indoles eorum facile patebit.) Satura igitur animi lance cum bonis in Spho allatis quotusquisque aequus rei arbitr contendant, quae ad bona externa vera quidem referri possunt, si modo maioris boni iacturam haud inferant, vbi nimirum ad appetitio merito referuntur; (§. II.) v. c. diuitias, honores, voluptates mundanas, et id furfuris alia, quae nec sempiterna sunt, nec animum nostrum, qui teste experientia, et sacra scriptura entis infiniti desiderio tenetur, vere recreare possunt: et facile concedet, gaudium in Spiritu Sancto respectu objecti, ceteris paribus, cuiuscunque gaudio palmam praeripere, eademque bona externa, si in collisione cum iis, quae in Spho allegantur, fuerint, nauci floccique esse pendenda, iisque extensiue, protensiue ac intensiue maioribus merito postponi debere.

§. XIII.

Gaudium in Spiritu Sancto requirit cognitionem intuitiūam Forma gaudi (§. XIII.). Bonis enim istis omni elogio maioribus (§. XII.) quo- dī in Spiritu modo Sancto.

modo gaudere possemus, nisi eorundem ad nos relationem intueremur? Liceat ergo nobis et hac de re paucis quidem adhuc differere, breuitatis, multis nobis iamiam nominibus commendabilis, neutiquam immemoribus. Quemadmodum bona, quae in Christi merito latent, per solam fidem ad nos referuntur; ita quoque Spiritus sanctus per fidem bona supra allata intuitui nostro subiicit. (§. X. VI.) Ergo intuitus huius indeoles ex ipsa fidei natura iure meritoque deriuari potest. Iam vero fides *primum* originem mere supernaturalem requirit (per §. cit.) Col. II, 12. Ergo et intuitus hicce eandem supponit, et hinc est *supernaturalis*; *deinde* fidei cognitio *supernaturalis* cum conscientia omnino coniuncta esse debet: (per Theol. Dogm.) Ergo est *clara*. (§. I.) Ergo et intuitus hicce *clarus* est. Post cognitio fidei clara, quatenus *supernaturalis* est, *pura* esse debet, seu heterogeneas representationes admixtas non habet (per defin.): Ergo et intuitus, quem disputamus, *purus* est, prauasque nequaquam cupiditates socias agnoscit. Et quum fides in res, quae sensus stricte dictos incurrit, vi naturae suae (§. X.) minime cadat, ideoque sensationes modo internas, easque ne iucundas quidem semper admittat, (per §. cit.) sensations sensitivae eaque iucundae cum eadem necessario non sunt coniunctae; quanuis lubenter concedamus, quod res, quam per fidem adprehendimus, interdum eiusmodi mutationes in anima producere possit, quae sensitiva adeo sensatione capaces sint. Ergo eodem modo cum intuitu, de quo loquimur, res sese habere debet. *Tum* cognitio fidei *supernaturalis*, qua talis, *vera* esse debet: (§. I.) Ergo et intuitui huic veritatem merito tribuimus. *Porro* fidei adsensus *certus*, seu cum veritatis conscientia (per defin.) est coniunctus: (§. X.) Ergo et intuitus hicce *certus* esse debet, hancque certitudinem praeter grauissimas Christi, quin et Dei ipsius verissimi de eximio suo amore paternoque fauore contestationes Hos. 1, 7. C. XIII, 5. Ezech. XXXIII, 18. 2 Cor. VI, 17 seq. mirifice promonet interna vere credentium obsignatio per Spiritum Sanctum Ephes. 1, 13, qui ipsis tanquam arrha promissionum diuinarum datus est. Quare non mirum est, cur fides ipsa tam praeclaris nominibus in sacris paginis insigniatur, quae hanc eius certitudinem in primis eunt comprobatum; ita eandem vocant ἐπίσασιν Ebr. XI, 1, πληρούμενην.

Propter

Proleg. Rom. III, 21, Ebr. X, 22, πεπόθησαν Rom. VIII, 38; quae quidem omnia ad intuitum hunc eiusque certitudinem efficiendam mirifice facere ex antecedentibus liquet. Nosmet vero in explicando harum locutionum pondere prolixiores esse prohibemur, quare vberiorem earundem dilucidationem desiderantes ad M. Chemnit. Loc. Theol. Part. II. pag. 256, et Hollatz. Exam. Theolog. Part. IV. Sect. II. pag. 1180 seq. relegamus. *Praeterea* quum fides intimam, eamque efficacem fiduciam, in Christo repositam, comprehendat, ideoque et in voluntate se exserat (cf. Hollatz loc. cit.) in nuda cognitione, vel sensatione transitoria consistere nequit: Ergo et intuitus, de quo differimus, easdem fidei notas agnoscit, id quod ipsorum bonorum indoles (§. XII.) quae vera sunt, ideoque veram constantemque voluptatem creant, confirmat, quin immo sacra scriptura locutionibus ex sensitiva cognitione depromitis innuere videtur Ps. XXXIII, 9. Ps. XXXVI, 8. 9. Es. LXV, 13. 14. C. LXVI, 10. 11. Fides vera denique in mediis cruciatibus externisque calamitatibus firma manet, in iisque eo clarior ac praestantior fulget 1 Pet. I, 6. 7. 2 Thess. I, 3. 7: Ergo et idem intuitus, de quo agimus, in iisdem afflictionibus minime concidit, sed tum demum ob constantiam ab imaginario distinguitur 1 Pet. IV, 13. Matth. V, 12. 2 Cor. VIII, 2. Vera fides tandem ex natura sua sine vita conceipi nequit (§. X.) Jac. II, 20. Ergo et intuitus, quem hic innui-
mus, viuus sit necesse est. Ps. CXIX, 32. 88. Ps. LXXIII, 28. Nehem. VIII, 10.

Prono ex inde aliue fluunt gaudi in Spiritu Sancto characteres ac qualitates. (per defini.) Gaudium ergo in Spiritu Sancto est *pri-
mum* mere *supernaturale*, ideoque simul cum intimo indignitatis sensu, mentisque humilitate, ac summa in Deum reverentia coniunctum, Ps. II, 11; *deinde clarum*, scet, claritatis huins maxime diuersos pro capacitate subiecti gradus dari, libenter concedamus; *post purum*, ideoque praeterquam quod animae vires solas, effecti-
ue consideratas excludat, (per anteced.) tentationes internas easque incundas semper quidem requirit, externas vero seu sensitivas non nisi sub conditione in ipso allata admittere potest, quae igitur cum gaudio in Spiritu Sancto adeo necessario non sunt coniunctae, vt ab eodem, id quod nonnulli fabulantur, segregari nequeant; *porro
verum ac certum*, quin immo tam certum quam quod certissimum;
tum veram ac constantem voluptatem creat, quam quidem respectu
bono-

bonorum, quae in fruitione Dei nobiscum communicantur, ut et respectu promissionum diuinarum Eccl. XXXX, 10. aeternam vocare licet, quamvis respectu formae gaudium, quo hac in vita fruimur, ab eo, quod in futura nos manet, differre facile pateat ex 2 Cor. V, 7; denique gaudium hoc spirituale in mediis calamitatibus exter-
nis, quae coronam eo certiorem reddunt splendidiore inque, fir-
mum manet; et tandem vita pollet, eiusque efficaciam in studio
sanctitatis nunquam non demonstrat. Facile simul ex iis, quos at-
tulimus, characteribus cuique adparebit, quantum gaudium in Spi-
ritu Sancto differat a voluptate hominum φυγαῶν, seu ut optimus Poeta inquit, a malo mentis gaudio; ut et a tranquillitate naturali,
de qua quidem Seneca multum gloriatur, licet vana modo persua-
sione, nullo vero firmo fundamento nitatur, ideoque fallax sit ac
momentanea; (vid. Liber ipsius de tranquill. animi Cap. II.) quin
immo ab omni affectu impuro distet, qui tantum abest, ut vera
fide nitatur, et sanctitatis studium promoueat, ut mera potius im-
aginatione fundatus securitati carnali ansam praebeat tristissimum.

Eandem, quam luc usque perscrutari sumus, gaudii in Spiritu Sancto indolem, duobus adhuc sacrae scripturae dictis confirmare liceat, ex quibus tam obiectum, quam vera eiusdem forma, praefertim quin vocum pondus paulo penitus considerauerimus, luce meridiana clarius resulget. *Vnum* exstat Eccl. LXI, 10, ubi vates sacer ecclesiam N. T. in Christo intime exsultantem (id quod ex nexu adhibitisque locutionibus patet) ob oculos nobis ponit, egregium eiusdem encomium satis distincte praecinens. *Alterum* deprehendimus 1 Pet. 1, 6. 8, ubi gaudii huius obiectum distinctius adhuc explanatur, praefertim si cum Ioan. Gerhardo in Comment. in hanc Epist. aliisque haud insini subselli exegesis, voces δέος non ad proxiane antecedens vocabulum solum, sed ad totum praecedentis mem-
bri complexum, ubi Apostolus singulatum eximia, quae in hac vita credentibus obtingunt, gratiae diuinae beneficia, pluribus enumerauerat, retulerimus. Formam eiusdem vero vocibus adhibitis ita declarat, ut cum explicacione nostra omnimode contentive videatur. Et hoc denique optimo iure saluaque veritate idem gaudium coroni-
dis instar duobus elogiis prosequitur, ubi illud vocat χαράν πεντά-
ληπτον οὐαὶ δεδοξασμένην, quibus Ioannes 1 Epist. 1, 4 addit πεπληρωμέ-
νην; unde simul adfirmare licet, quod illi, qui gaudio hoc perfruun-
tur, verum euunque haud adeo minorem aeternae salutis sensum
anticipient.

§. XIII.

*Gradus et
fructus gau-
dii in Sp. S.* (§. X.) Ergo et intuitus supernaturalis, de quo hic agere ani-
mus

mus est, et hinc gaudium in Spiritu Sancto eosdem pro gradu maioris vel minoris et conuictioris, et plurium vel pauciorum honorum claritatis, et constantiae, et vitae etc. (§. XIII.) agnoscere debet, qui ab iisdem, quas supra allegauimus, (§. X.) causis dependent. *Media* vero quibus intuitus huius augmentum obtineri potest, eadem sunt, quibus prima eiusdem origo debetur. (§. IX. X.)

Aeque bene cum praecedente tractatione praestantissimos gaudii huius effectus, fructusque iucundissimos connectere licebit, quippe qui simul tanquam legitima eiusdem criteria late dicta adhiberi possunt, quoniam illorum ope idem a quoconque imaginario affectu discernere valemus. Non sumus vero longiores in iis fructibus recensendis, qui ex gaudii huius qualitatibus (§. XIII.) per se patent, sed eos tantummodo tribus verbis adhuc in medium proferre animus est, quos ex eiusdem indole tuto deriuare licet. Ideoque merito hoc referimus

I. *Summam mentis tranquillitatem et acquiescentiam*; quae enim quum in absentia dominantis taedii, ac ingratarum sensationum consistit, non potest non ex gaudio hoc profluere (§. VI.) Rom. VIII, 31. seq. nam et de praefenti et futura salute sua intime conuictum, non est, quod anxiū et inquietum reddere posset 2. Tim. I, 12; ideoque et ex hoc fundamento pacem conscientiae brabeutae officio in cordibus regenitorum fungi, cum Paulo ex Coloss. III, 12. adfirmamus. Qua quidem in tranquillitate continuae summi Numinis laudes eo suauiores dulcioresque personant, gratesque ei offeruntur haud interruptae pro innumeris gratiae suae beneficiis, quae cum hoc gaudio arctissime cohaerent (§. VI.) Pf. CIII, 1-5.

II. *Abnegatio mundi omniumque bonorum adparentium* Phil. III, 8. 1. Joh. V, 4. intuitus enim bonorum, quae in Deo nobis sese offerunt, (§. XII.) illorum intuitum facile obscurat, vt qui semel de iis degustauerit, facile explodat omnem aliam laetandi materiam, cuius fruitio felle quasi suffusa est. Arcto cum hac vinculo cohaeret.

III. *Amor Dei intensissimus*. Quum enim amor studium ex alicuius perfectionibus voluptatem capiendo, complectatur, quae igitur ad nos relatae esse debent; in gaudii huius fruitione ve-

ro Deus, et omnia, quae in Deo sunt, quam intime ad nos referantur: (§. VI, XII.) Ergo amor Dei merito huc refertur. Hinc fluit ut

III. Animus in Spiritu Sancto vere gaudens nunquam non coelum versus dirigatur Coloss. III, 1. seq. Phil. III, 14; seu dominanti aeternae salutis desiderio feratus, quod quidem non potest non sempiternam eiusdem recordationem renouare. Idem animus.

V. Denique maximas calamitates resque asperrimas summa patientia firme pectora perfert, et tacito desiderio mortem praefolatur; quoniam persuasum habet non vitae finem esse, sed beatae immortalitatis initium, non perpetuum interitum, sed transiit ex hoc mundo ad Patrem. Phil. I, 21. 23. Luc. II, 19. 2. Cor. X, 10. Idem testantur innumeris veritatis testes, qui gaudio hoc perfusi, inter media iubila cum sanguine vitam posuerunt, eoque ipso doctrinae, quam profitebantur, diuinam originem egregie iuere obsignatum.

Ad gaudii in Spiritu Sancto fructus et omnes illi merito referuntur, qui verae fidei alias proprii iudicantur, ideoque in primis et πρωταγωνιστην et πρωτογενειαν Eph. III, 12; quae re vera quidem differunt, ambae tamen arcto quadam vinculo cohaerent, praesertim eminentiori quadam gradu spectatae, ad legitimos gaudii huius fructus, et hinc criteria iure pertinent, quamvis foli illi propria haud esse videantur. Nihilo vero fecius, quam criterium eiusque valor ex sufficientia ad finem diuidendus sit, gaudium in Spiritu Sancto vero cum fide quam arctissime sit connexum; (§. XIII.) sequitur, ut criteria allata fini huic praeposito sufficere queant, idque in primis, si diversi eorum gradus in censum vocentur.

S. XV.

Cantelae Consultum videtur, ut ante, quam praesentis telae filum quaedam ne abrumpamus, *cautiones* quasdam adferamus, sinistram allatorum *cæstariæ*. interpretationem eo felicius amolituri.

I. Non quilibet affectus iucundus cum gaudio, quod hisce in pagellis disputamus, est confundendus. Ergo nec primi motus gratiae præviae strictius huc sunt referendi, nec imaginarius quicunque affectus iucundus, qui verae gaudii in Sp. Sancto indoli eiusque notis recensitis repugnat, nomen hocce præclarum me-retur,

retur, ideoque omnem lapidem hic moueamus necesse est, vt imaginationem a vero, quem disputamus, intuitu rite discernamus.

II. Sedulo cauendum est, ne et veram fidem cum gaudio in Spiritu Sancto confundamus, eandem vel in solo hoc affectu iu-
cundo ponentes, vel sempiternam huius gaudii in omnibus cre-
dentibus praesentiam requirentes (§. X.); praesertim quum ca-
non ille longa antiquitate tritus firmo adhuc stet talo: *Christia-
nus magis sub cruce, quam in rosis nascitur;* omnisque vicissitu-
do, quae respectu gaudii huius conscientiae ac sensus hic locum
obtinet, firma spe boni et exoptati exitus compensetur (§. XIII.);
*et intuituam, quam in anteced. requisiuitus, cognitionem ad me-
ram sensitiuam restringamus;* (§. cit.) multo minus vero hac po-
steriore pro norma agendi, principioque et mali, et boni, et
gratiae denique status incrementi diiudicandi vtamur.

*III. Gaudium in Spiritu Sancto haud unicum est hominis,
Christo vere addicti, criterium.* Licet enim tuto adfirmare possi-
mus: quicunque vere in Sp. Sancto gaudet, est homo vere Chri-
stianus; propositionem tamen hancce simpliciter conuertere haud
licet. (§. X.) Interim minime negamus, quod gaudium in Spi-
ritu Sancto cum Christianismo in abstracto seu obiective sumto in
sempiterno ac constante nexu sit, vt potius firmiter contendamus,
gaudium in Sp. Sancto verum supponere Christianismum,
simulque propositionem hanc simpliciter convertamus: Christianismus
verus, in abstracto sumptus, gaudium in Sp. Sancto sem-
per ac constanter admittit. Vtrumque ex Sectione insequenti
mox dilucidius patebit.

IV. Varii quum gaudii huius gradus dantur (§. XIV.), qui
cum primis a benigno eoque sapientissimo summi Numinis fauore
dependent, *in eo, cuius particeps reddimur, gradu acquiescamus
necessum est,* ne sapientiae diuinae in distribuendis donis spiritualibus
modum ac limites praescribere videamur; et omnibus viribus
in id potius nobis est entendum, ne ex culpa nostra eo, ad
quem adspirauimus, gradu, vel gaudio hocce plane iterum de-
stituamur, adeoque μισθαποδοσίας μαράλης, quae illud olim ma-
net Ebr. X, 35. naufragium faciamus aeterne dolendum.

SECTIO II.

QVOD GAVDIVM IN SPIRITU SAN-
CTO SIT GENVINVM VERAE RELIGIONIS,
QVAE CHRISTO NOMEN DEBET, CRITERIVM,
NEC NISI IN EADEM LOCVM HABERE
POSSIT.

§. XVI.

Religio quid? Determinatus modus Deum colendi, *religio* audit. Iam ve-
ro Deum *colimus*, si ex perfectionibus ipsius cognitis actioni-
num nostrarum motiua deriuamus, seu actionibus nostris
gloriam Dei, i. e. iudicium nostrum de perfectionum eius a no-
bis cognitarum complexu manifestamus. Ergo religio in con-
uictione de perfectionibus diuinis, eiusque per actiones nostras
manifestatione consistit.

Sine cognitione Dei ergo, summi omnium entium contingentium ori-
ginis ac auctoris, religio concepi nequit. Quia de re quam cognitio
vel *objektive*, seu pro complexu de ente representatorum, vel *sub-
iective*, de facultate in primis eximia seu habitu representandi,
spectari possit: religio vel obiectiva, vel subiectiva consideranda
venit, quarum hanc ab illa pendere facile adpareat cf. Canzium de
ciuit. Dei, et Theol. Dogm. Nuda praeterea Dei cognitio ad reli-
gionem efficiendam non sufficit, sed conuictio de eodem, eiusque
per actiones nostras declaratio accedat necesse est, ideoque cognitio
Dei et certa et viua esse, (§. XIII. I.) et cuicunque religioni verae
tamen pars *rheoretica*, quam *practica* competere debet. cf. Reinbeck
medit. in Aug. conf. Tom. IV. Med. 41. §. I. seq. Cognitionem
deum de Deo veram (§. I.), si actiones entis prae se ferunt, re-
ligio eiusdem est *vera*: si minus, *falsa*. Et quia Deus est unicus
et mutari nescius: (per Theol. natural.) *religio vera, unica et
constans esse* debet. Praeterea quam cognitio vel sit naturalis vel su-
pernaturalis (§. I.): cognitioni vero vis tributatur, quatenus ex illa
aliquid concipi potest, seu illius rationem continet: Religio, quae
sit naturalis quae *supernaturalis*, et vtriusque vis tam docens, quam
mouens vel me tacente patet ex psycholog. princip. cf. Musaeum in
introduct. in Theol. Cap. I. §. I. seq.

§. XVII.

*Finis reli-
gionis verae.* *Verae religionis finem coniunctio hominum cum Deo, huiusque
Numinis summi gloria constituant.* Coniunctio enim ista, ex parte
hominis

hominis considerata, illa eiusdem ad Deum relatione absoluitur, qua illum vere cognoscit, ac dominante in eum inclinatione fertur. Iam quum religio vera, veram ac viuam Dei cognitionem supponit: (§. XVI.) Ergo patet, quod religio vera in hominum cum Deo coniunctionem tendat. Deinde quia religio vera tam cognitionem Dei eiusque perfectionum veram, ergo iudicium de Dei essentia verum, quam manifestationem eiusdem requirit: (§. cit.) ex utraque hac ratione eandem gloriae Dei inferuire liquet. Ergo duplex allatus verae religionis finis in aprico est positus.

Quum et a coniunctione hominis cum Deo et gloriae ipsius manifestatione hominum salus segregari nequeat; (per Theol. natural.) religionem veram ex utroque hoc fundamento nostram promouere salutem, liquet. Quibus simul addimus: quatenus et quo magis religio cum fine in spacio allato congruit, catenus et eo magis sufficiens est atque perfecta, (per def.) eoque maior vis ei est tribuenda. (§. XVI.) Quo ergo maiori et hominum cum Deo coniunctioni, seu quo plurim illa est hominum, quo maiore ex cognitione de Deo, (§. I.) ex quo maiore denique et pleniore erga illum inclinatione oritur, (§. cit.) et summi Numinis gloriae inferuiet, seu quanto plura et maiora de excellentia ipsius iudicia ad illam consentient, hoc est praestantior ac perfectior.

§. XVIII.

Missis reliquis de religione generalioribus, species eiusdem penitus perscrutamur; ibique natura duce et ratione comite in religionem veram incidimus, ad quam natura hominum sibi relicta sufficit, (§. I.) eaque *naturalis* audit. Quae igitur *obiectiva* sumta, in complexu de Deo vel ex notione entis perfectissimi, vel ex consideratione entium contingentium, ideoque vel a priori vel posteriori vere cognitorum consistit, indeque pendente eiusdem cultu; (§. XVI.) *subiectiva* vero habitum complectitur naturalem Deum colendi, (I.c.) et *pietatis naturalis* et *philosophiae* nomine venit. Ut utraque igitur a naturali animae vi pendens et *theoreticam* et *practicam* partem sibi vindicat, (§. XVI.)

Quum animae nostrae facultates per se limitibus sint circumscriptae, ideoque nec ens infinitum, nec entium contingentium, in uniuersum omnium, complexum, nec vires et mutationes eorum perfectae

cōtē cognoscere possimus; (per princip. psycholog.) praeterea vero maximae adhuc corruptelae obnoxiae sunt, per exper. (cf. §. IV); defectus religionis naturalis tam obiectus, quam subiectus in apri-
cō sunt. Duplex nimurum potissimum defectus adest, quo naturalis, qualis iam est, Dei cognitio laborat. *Vnus materialis et obiectivus, alter formalis et subiectivus audit.* Ille in ignoratione doctrinarum palmariarum, quibus substituti Deo vñquam frui nequimus, quorsum primario modus expiationis referendus venit, consistit; hic cognitionis ipsius naturalis indole eiusque certitudine, a paucissimis non sine maxima difficultate obtinenda, absolvitur. cf. Reinbeck med. in Aug. Conf. Tomi. IV. med. 41. §. 34.

§. XIX.

Defectus re-
ligionis natu-
ralis.

Luce meridiana clarius ex praecedente spho *religionis na-*
turalis insufficientia ad finem (§. XVII.) expositum adparet. Hinc illustrationis ergo vnum modo alterumue addere liceat. Perfectiones naturales, quibus praesenti in statu adhuc gaudemus, praeterquam quod maxime sint limitatae, (§. XVIII.) innumeris imperfectionibus, hypothetice inuincibilibus, supprimuntur. Finis deinde legum naturae, quas diuinis vocare temerarium haud foret, (per princ. J. N.) in acquirenda quidem salute nostra ponit debet. Jam vero quum legibus naturae, et hinc legibus diuinis id non facere possimus, quod satis est, ideoque obedientia, et legibus naturae, et legislatori praestita, multis defectibus labore: tantum abest, vt hoc modo legum naturae finem adsequamur, ut potius maximus ex earundem neglectione reatus nos premat. Cuius quidem reatus tollendi media ratio sibi relicta nunquam detegere valet; (p. §. cit.) a reatu vero isto quum salutis nostrae iactura separari nequeat: (p. anteced.) E. aliunde rationis defectus, si finis obtineri debet, compensetur necesse est.

Inter omnes ratione vsos licet constet, Numen sanctissimum peccatis grauiter indignari, neque iura ipsius impune violari, exspectandam tamen esse ab ipsis benignitatē, supposita sufficiente expiatione, veniam offensionum; nihil tamen minus modus apud Deum in gratiam redeundi, quem ipsi sibi fingunt, ne rationi quidem ipsi cum aliqua veri specie satisfacere potest. Non est, quod multi simus in hac re probanda, quum quadruplex fictitium expiationis medium, cuius ope gentiles summum Numen amicum sibi reddere temere adnituntur, nimurum preces, iejunia, eleemosynae et oblationes, idem fatis

satis superque testetur; quibus tribus prioribus hodierni Judaei adhuc acquiescere consueuerunt, quorum vero partium futilitatem, partim insufficientiam fusius exposuit beatus M. Knutz in libro cit. Insimul vero ex ipso hoc religionis naturalis defectu viribus nostris irreparabili, quem ipsi viri perspicacissimi, cunctis viribus religionem naturalem sectati, vnanimiter profitentur, praesertim si cum illo et sapientiam, scientiam, omnipotentiam et bonitatem summi Numinis contenderimus, necessitas proprioris revelationis, eiusque tam possibilitas, quam existentia probabilis finit. Enim vero per ambages sane iretur, si existentiae alicuius rei contingentis demonstratio a necessitate illius alte repesteretur, quae sine illa longe facilius felicior que sola contentione doctrinarum de nostra ad Deum relatione, quae rationi ipsi perquam necessariae videntur, cum illis, quas ratio fibi relicta detegere valet, absoluitur.

§. XX.

Reuelatio diuina strictius sumta, complectitur manifestacionem certi cuiusdam veritatum complexus, supernaturali modo et religio reuelata.

Reuelatio diuina strictius sumta, complectitur manifestacionem certi cuiusdam veritatum complexus, supernaturali modo et religio reuelata.

factam, quae hinc et respectu originis et nexus, quo veritates cohaerent, a Deo immediate omnino pendet; (§. I.) licet nonnullas eiusdem veritates, quin immo plerasque seorsim spectatas, et cognoverint homines, et cognoscere naturali modo potuerint. Religio, quae hac reuelatione fundatur, reuelata audit, eaque vel obiective vel subiective spectari potest. (§. XVI.) Qua quidem definitione duce, vera verae religionis reuelatae criteria, quam fieri potest breuissime, in medium proferemus, cum ubiorem huius rei explanationem tum systemata maiora in uniuersum fere omnia, in primis in Artic. de sacra scriptura, cum libri bene multi id ipsum in frontispicio profitentes sufficienter porrigit, desiderio illorum, qui eam anxie quaerunt, id quod satis est facientes. Inter quos Grotii, Pascalis, Kortholdii et Knutzenii nomina ultimum locum nequaquam occupare videntur.

§. XXI.

Ex quo aliquid potest agnosciri, criterium seu nota charactistica audit, idque verum est, si ex illo res constanter agnosciri, at quid? que ab aliis sufficienter discerni potest. Ex quo igitur religio reuelata constanter, atque ut vere talis, a spuria et falsa sufficienter distingui potest, criterium eiusdem verum ac genuinum vocari

ri meretur. Vi definitionis in §pho praeced. allatae collat. §. XVI. religio vera reuelata sequentia agnoscere debet criteria:

*I. Veritates continere debet, quas animae humanae vires sibi relictae nunquam detegere valent; quae igitur quatenus veritates sunt cum vera naturali religione, ex veritatis natura, quidem consentiunt, alioquin vero longo eam post se interruuo relinquunt, id quod exinde patet, quia illius inopiae reuelatio adfluenta sua succurrere debet. (§. XIX.) Ergo veritates supernaturales, minime vero contranaturales continere, et hinc *mysteria* agnoscere debet, quae quidem penitus comprehendere spiritui modo infinito proprium manet, quae attamen vero et religionis reuelatae praerogatiuam constituant, et indubium, quem eidem debemus ad sensum, mirum quantum promouere valent.*

II. Veritates, quae defectum religionis naturalis compensant, complecti, ideoque viam felicitatis nostrae et summi Numinis et nostrae naturae maxime congruam aperire debet. (§. XVI.) Ergo et imperfectiones, quae in statu naturali nos premunt, duplimente exinde fluentem reatum, culpae scilicet et poenae, detegere, et media sufficientia, quorum beneficio tam ab illis liberari, quam communionis cum Deo iterum compotes fieri queamus, porrigitur debet.

Quoniam defectus religionis naturalis reuelata supplere debeat, patet, quod eadem illius et claritatem et certitudinem oppido augere ac leuare, vim illius valde promouere et diuinae originis vi perfectioribus (§ XVII.) fusius allatis, quam maxime gaudere debeat, eoque ipso praestantia religionis reuelatae prae naturali in aperto posita est. Praeterea insimil ex ipsis allatis duobus criteriis palmarii, ex quibus reliqua omnia facile deriuari possunt, veritas eorundem dilucide adparet.

S. XXII.

Religio christiana. Existit reuelata religio in illo complexu librorum, quos Christiani pro diuinitus reuelatis habent; (per Theol. Dogm.) quae hinc *christiana* audit, quia veritates in illis de Deo contenti, cultum eius determinant. Facili iamiam negotio diuinam eiusdem originem et auctoritatem ex contentione cum criteriis, (§. XXI.) allatis, euincere possemus, nisi eadem cum sacrae scripturae auctoritate tam arte cohaereret, vt ab eadem plane separari nequeat, nobisque iure quodam ad Viros summa doctrina

na conspicuos in §. XX. citatos, quos quidem solidiore demonstrationis vi, in hac veritate principali euincenda, a nobis iri superatum, persuadere huc usque nobis nondum potuimus, prouocare liceret. Interim ne caussa nostra iusto magis diffidere videamur, tribus tantummodo verbis ea, quae omne hac in re punctum ferre videntur, adferamus. *Continet* reuelata religio, quae Christo nomen suum debet, mysteria, ad salutem nostram maxime necessaria, quae quidem ratio sola comprehendere nullo modo valet, licet eadem illi non nisi adparenter contradicant. Dantur *deinde* in illa veritates, quibus sine salutis nostrae iatura destitui nequimus, quae tam status nostri praesentis maxime corrupti salutarem incutunt abominationem, quam veram viam mediaque sufficientiam ad Deum propitium reddendum efficaciter ostendunt, dum ad Christum tanquam ancoram sacram homini Christiano confugere licet; Christiana religio *denique* eandem viam et ordinem, ut Theologi dicunt, salutis tam vniuersali modo, adeo clare, tanta certitudine, quae ex miraculis, ut pote quae sigillorum instar eandem confirmant, mirifice adaugetur, tamque efficaciter, et tanta vi supernaturali exponit, ut omnia in medium proferre videatur, quae ad θεοπρέπειαν tanti beneficii insinuandam et extollendam facere possint.

Veritas horum criteriorum ad religionem christianam relatorum exinde euincitur, si cum veritatibus in illa obuiis omnimode ac perfectissime consentientes, illam ab aliis omnibus fictitiis sufficienter discernunt. Consensus ille cuius per singula ituro facile patebit, et ex hoc fundamento, vi cuius religio Christiana nihil omnino continet, quod vlo modo diuinæ ipsius origini seu essentiae ac perfectionibus diuinis vere contradicat, id quod ex contentione instituta dilucide adparet, maximum sibi pondus vindicare videtur. Ergo cum ipsa criteriorum allatorum veritate confirmata, religionis reuelatae sufficientia ac praefantia simul euincitur. Vtraque vero euidentior adhuc redditur, ipsa collatione verae religionis reuelatae Christianæ cum fictitiis aliis quibusvis, et in primis cum religione et hominorum Judæorum, quippequae talmudicis fabulationibus maxime commaculata, antiquae Patriarcharum religionis faciem penitus quasi exuisse videtur; et Turcarum, Mahomedis fabulis insipidisque mendaciis reserta; et paganorum, qui fictis oraculis nugisque sybillinis patientes aures præbent; qua quidem contentione prioris eminentia simul mirifice effertur, nosmet vero propositi nostri, immo ac breuitatis ergo eadem summo iamiam iure supercedere possumus.

Demonstratio
thematis.

S. XXIII. *Suppositis iis omnibus, quae ad veritatis, quam clariori luci restituere animus fuit, demonstrationem aliquid facere possunt, id, quod caput rei est, nunc adgredimur. Gaudium in Sp. Sancto est intuitua boni omnigeni, quod ex merito Christi ad nos relato profluit, cognitio supernaturalis. (§. VI.) Jam cuncta eiusdem requisita, quae integrum sectionem priorem constituant, religionem vere Christianam supponunt, adeoque arte cum eadem connexa sunt, ut gaudium hocce sine illa cogitari nequeat. (coll. Sect. I. cum. §. XXII.) E. gaudium in Sp. S. cum vera religione Christiana est connexum. Quascunque res si nexus intercedit altera alterius rationem continet. Ergo ex altera alterius indoles concipi potest (p. def. rat.) seu alterius representationem altera mihi excitat. Ergo gaudium in Sp. Sancto non potest non verae religionis ideam excitare, seu haec ex illo vere agnoscit potest. Criterium vero quum id audiat, ex quo aliquid agnoscit potest, sequitur, ut gaudium in Sp. Sancto sit verae religionis Christianae criterium; idque simul, quum gaudium hocce sine illa cogitari nequeat, (p. anteced.) ideoque haec ex illo constanter agnoscit, et ab omni falsa ac spuria illius ope discerni possit, verum ac genuinum (§. XXI.) dici meretur. Q. E. D.*

Tuto igitur concludere licet: vbi est gaudium in Spiritu Sancto, quod eam, quam Sect. I. exposuimus, indolem agnoscit, ibi est vera religio Christiana, et vi contrapositionis logicae: vbi non est vera religio Christiana, ibi non datur verum gaudium in Spiritu Sancto. Quae quum ita sint, licet priorem propositionem vniuersaliter affirmantem, minime vero reciprocam, simpliciter, ut logici dicunt, conuertere nequeamus, tuto tamen affirmare possumus: Vbi gaudium in Spiritu Sancto plane esse nequit, seu notae, illud ingredientes, nullum inueniunt locum, ibi non adest vera religio Christiana. Nam religio Christiana, in abstracto sumta, gaudium in Spir. Sanct., qua fundamentum illius, tanquam characterem essentialem admittit, qui ergo semper inveniatur ac constans esse debet, per princip. Metaphys. (cf. §. XVI.)

§. XIV.

Consecratio.

Latissimus ac immensus fere nobis ingrediendus esset campus, si quoque per singulos modo, quotquot religionis Christianae nomen profitentur, coetus eundo eos tantummodo ad unum omnes errores atro notare vellemus carbone, qui gaudio huic obicei ponunt certissimum. Tribus igitur modo verbis, vnum

vnum alterumve, qui primus, huc spectans, intuitui nostro sese offert, errorem capitalem cum connexis suis innuere permittit praesentis instituti ratio. Ideoque consecutariorum instar cum gaudii in Spiritu Sancto, Sect. I. expositi, indole ea caute contendamus, quae eidem vere contrariari videntur, ut contradictione eadem euicta, quid de eiusmodi coetu, qui errores illos fouet, eiusque religione aequo cuiilibet arbitro statuendum sit, nec ne, liqueat per coroll. anteced. Ante vero quam palaestram hancce ingredimur, duo adhuc praemittere nobis licebit.

I. Primum in antecessum quasi negamus, religionem naturalem sibi reliquam et quidquam de hoc gaudio in Spiritu Sancto nosse, et hinc multo minus illud posse producere. (§. XVIII. XIX. coll. §. XIII.) Socrates enim ipse ne minime quidem ostendere potuit, velle Deum cum homine peccatore in gratiam redire, et hinc multo minus eadem gratia in communione cum Deo est frutus. Praeterea vero tranquillitatem animi, quam cum Seneca omnes fere olim Philosophi somniabant, nullo nisiam fuisse fundamento, exinde satis dilucide patet, quod Seneca nec sibimet ipse, nec asseclis suis certam beatæ immortalitatis spem, quae in gaudio hoc omnino maxime in censu venit, (§. XII.) promittere potuit. In fine enim Apol. Platon. moribundus ita loquitur; ἀλλὰ γὰρ οὐδὲ ἄποινες, ἐμοὶ μὲν ἀποθανεμένῳ, εἰμὶ δὲ βιωσομένοις; ὅπερειοι δὲ οὐδὲν ἔρχονται ἐπὶ θεων πρόγυμνος, ἀδηλον πάντι, η τῷ Θεῷ, i.e. sed iam hora est, hinc abire, me quidem, ut moriar, vos autem, ut vitam agatis. Vtiri vero nostrum in melius eat, omnibus praeterquam Deo est incertum.

II. Quaecunque religio revelata de Christo eiusque merito non recte sentit, vel eundem plane ignorat, illa gaudium hocce in Spiritu Sancto ob idem ipsum admittere nequit (§. VI.).

S. XXV.

Iam vero palmarios errores, quibus illi, qui Christianam religionem profitentur, laborant, eosque in primis, qui vel gaudium hoc plane impediunt, vel in culpa sunt, quo minus gaudium, si aliquid adest, indolem supra expositam nancisci queat, breuiter perstrictum ibimus. Non est vero, quod multi simus in iisdem refutandis, quum et veritates, quibus hic innititur, lemmatum instar ex Theol. Dogm. supponamus, et veris huius gaudii requisitis in sectione priore ex claris sacrae script. testimoniis

Continuatio.

niis satis euictis, veritates de eodem reuelatas naturales nullo modo euertere, sed easdem nimium quantum stabilire, in antecedentibus pluribus ostendere meminserimus.

I. *Quicunque igitur verum salutis ordinem a S. Numine praescriptum vel plane reiiciunt, vel ingenio suo peruertere ac mutilare satis temere sustinent, gaudii in Sp. Sancto participes fieri nequeunt.* Huc igitur merito referimus, primum qui legem ex opere conuersionis proscriptentes vsum eiusdem paedagogicum, qui late sumtus elenctico - epanorthoticum simul comprehendit, quantum in ipsis est, funditus euentunt, et euangelium in eius locum sufficiente idque solum conuersionis medium ac poenitentiae concionem esse blaterant; *deinde* qui veram in Christum fidem non ea, quam nosmet ex sacris paginis deriuauimus, puritate docent, eandem vel sine antegressa mentis mutatione stricte sumta locum inuenire, vel adeo omnibus hominibus a natura quodammodo iam instam esse autumantes, vel eidem illam, quam §. X. et §. XIII. XV. carpsimus, indolem tribuentes, vel denique omnem fideli certitudinem, quae in gaudio hocce euincendo utramque ferre facit paginam, penitus reiiciendo, eandem hac in vita nemini contingere, temere nugantes; *denique* qui media ad salutem necessaria vel plane reiiciunt, vel adeo deturpant, vt sibi ipsa similia non maneant, quorsum eos primario referimus, qui verbo externo penitus rejecto in solo interno, quod sibi fingunt, fundamentum communionis cum Deo latere iactitant. (§. VIII-X.)

II. *Qui operationes supernaturales ad unam omnes alto supercilio contemnunt, easdemque mere superfluas arbitrati, vires in praesente statu naturales aeternae saluti imperrandae sufficere contendunt, gaudio in Sp. S. frui plane nequeunt.* (§. VI. seq.)

III. *Eadem ex ratione gaudio in Sp. S. vere gloriari non possunt, qui in beneficiis gratiae, et in primis in doctrina de iustificatione, ad cuius quidem fructus gaudium hoc supernaturale retulimus, (§. VI.) cum S. Script. non consentiant, eandem vel veram percovoir non supponere, ideo huic antecedere posse, vel ex propria obedientia legi diuinae praefixa resultare, vel faltem per antecedentem conuersionem, viresque in eadem acceptas impetrari posse, perperam persuasi; qui quidem Christum meritumque eius fruole pessundantes non minus a recto sacrae sc. tramite aberrant, quam qui vel omnibus iustificationem impetratam denegant*

qui

qui eandem non sentiunt, seu de eadem penitus non sunt conuieti, vel iustificationem, id quod plerumque, pro dolor! hodierna eaque tristissima edocemur experientia, cum sanctificatione confundunt, et vtramque non rite combinant, tum usum legis didacticum in hominibus iustificatis plane reiiciendo, cum *αναμνησις θρησκευματων* plenariam iisdem hac iamiam in vita tribuendo. Quibus singularis de momentis cf. ea, quae ex §. VI-X. XV. huc cernunt.

Impure quidem sectas ad unum omnes, doctrinis, tribus iamiam verbis indigitatis, quippeque religionis Christianae arcem cuertere tendunt, irretitas, eo quo veniunt nomine recensere possemus; quum vero cuilibet, cui lumen non plane ademtum, quique in historia eccles. rudem se penitus non agnoscit, facile sit detectu, quemnam coetum potissimum ac primario in tota tractatione innuerimus, et hoc negotio supercedemus quam libentissime. Interim tantum abest, vt membrorum singulorum, diversorumque, quae sectae cuidam nomen suum dederunt, individuorum dogmata integrae ipsi sectae tribuanus, eorundem discriben plane reiicientes, aut omnibus consecatriis, quae ex hoc illoue errare deriuari possunt, errantes ad unum omnes oneremus, aut domique singula errorum sectae membra hereticorum nomine adpellare, iisque heresios notam inurere sustineamus, per def. heresios; vt potius summam circumspectionem hac in re adhibendam esse, omnino requiramus; praesertim quum vix decimus quisque ex errantium numero erroris, quem sectatur, gravitatem perspiciat, et plerique vel bona fide, vel coeco aemulationis ac nouitatis studio nimis incogitanter hallucinentur, nec nobis denique datum sit, erroribus sectarum consideratis, de ipsis earum assecilis statuere, quippe quod summo potius cordium renunque scrutatori relinquendum, qui ipsis in coetibus, gravissimis erroribus infectis, suos sibi seruat, eosque mirabili modo ad salutem perdicit.

§. XXVI.

Vi integræ huius tractationis immota manet, firmoque tititur fundamento, veritas ista, quod gaudium in Sp. Sanct. praeagatua sit verae religionis Christianæ, seu quod idem est, gaudium in Sp. Sanct. sit genuinum ac verum verae religionis Christianæ criterium; utpote quae omnia requisita necessario huc pertinentia, ad unum omnia porrigit, ideoque sola verae religionis reuelatae nomine insigniri potest. Et quum felicitas in statu veri ac sempiterni gaudii consistat: patet denique, quod homo, qui Christo vere nomen suum dedit, optimam Sibi sortem elegerit, et felicitate fruatur iucundissima, purissima, maximaque et certissima.

T A N T V M

P R A E -

PRAENOBILISSIMO RESPONDENTI
AVCTORI DISSERTATIONIS ERVDITISSIMO,
S. D. P.
ADAM STRVENSEE,
PRAESES.



eruator noster optimus, discipulos suos valere iubens, ultimae
orationis cum adhortationum suluberrimarum, tum consolatio-
num dulcissimarum plenissimae hunc constituit scopum exo-
ptatissimum; ut gaudium ipsius in iis maneat, et gaudium
eorum impleatur. Horum verborum optimus mihi interpres
AVGVSTINVS videtur, sequenti eadem explicans modo:
Quid est gaudium Christi in nobis, nisi quod dignatur gaudere de nobis? et quid est gaudium nostrum, quod dicit implendum, nisi eius habere consortium? Gaudium ergo eius in nobis gratia est, quam praestit nobis, et ipse est gaudium nostrum. Vult igitur Iesus amantissimus, ut discipuli in ipso ipsiusque dilectione maneant, atque in fide perseverent omni tempore vsque ad vitium vita halitum; quo ex fidei eorum constantia laetitiam percipere possit, sicut pater φιλόσογγος liberorum salute ex animo gaudere solet. Ea etenim ratione et ipsis habituosis semper in communione ipsius, quo vere gaudent et ex quo laetitia eorum in dies incrementum caperet maximum. Fundamentum ergo gaudi nostri est gaudium Christi de nobis deque nostra ab ipso nobis impertita felicitate. Gaudium est in caelo super peccatore, poenitentiam agente; proinde etiam super credente, Seruatori suo perseveranter adhaerente. Sicut enim gaudet sponsus super sponsa: sic Deus gaudet super iis, qui Christo ad vitae huius finem despontati manent. Horum quoque gaudium implebitur. Quemadmodum enim credentium laetitia ortum sum traxit ex fruitione amoris sponsi caelestis: ita eadem ex gratiae gustu exuberantis in dies magis magisque crescit atque augetur, et tandem in futuro seculo omni ex parte perfecta ac consummata erit. Quorsum verum haec? Respondens Dilicetissime! Disputas de gaudio in Spiritu sancto, tamquam genuino religionis christiana criterio. Ex dissertationis Tuae mihi exhibitat inspeccione patet, cam Tibi me reddere absque vila emendatione; ut Tua tantum maneat, sitque profectuum Tuorum et in studio theologico et in studio philosophico eximiorum specimen clarissimum ac documentum luculentissimum. Quin vero Tibi placuerit, cam me moderante aduersus contradicentium dubia publice defendere, hisce Seruatoris Tui verbis et admonere Te et consolationis sempiternae fontem verum et unicum Tibi monstrare mihi animus est. Ex longiori consuetudine, quae Tecum mihi intercessit, magna animi voluptate intellexi, Te ex eorum commilitonum meorum honoratissimorum esse numero, qui in Christo veram et aeternam quaerunt salutem. Gauisus est itaque de Te deque felicissima Tua conditio Iesus, Redemptor Tuis, in omnia secula ob gratiam Tibi hucusque concessam celebrandus. Maneas, quaequo, Amice optime, et in posterrum in eorum numero, qui Jehouae nomini confidunt, inique non faciunt, neque falsa loquuntur. Tunc enim Deus Tuis de Te vehementer exultabit, ipsique eris valde gratus acceptusque in perpetuum. Gaudebis et Tu in ipso, et

et gestis toto corde. Malum timebis nullum, nec metues: quoniam Jehova,
Deus Tuus, Seruator fortissimus ac benignissimus, in omnibus Tuis viis Te-
cum erit; vt gaudium Tuum impleatur, et omni tempore omnique loco ex
salutis fontibus aquam vitalem cum gudio haurias. Et sic tandem Jehova
animam Tuam pinguedine atque deliciis gratiae suae et donorum spiritualium
inebriabit et satiabit, efficietque, vt populus, Tuæ in posterum curae concer-
dendus, bonis caelestibus saturetur atque ex ventre Tuo fluant perennis aquae
flumina. Vale, et rem Tuam age feliciter, immo felicissime. Dabam in Aca-
demia Halensi Fridericana d. XX. Sept. MDCCLI.

Freund! jüngst sah ich unbemerkt in der Ferne
Ein schönes Bild, Unsterblichen ähnlich.
In ihren Augen funkelte ein Feuer,
Das den Adel ihrer hohen Geburt anpriest.
Wie der Neiz auf den Wangen der Jugend blühet,
So saß er auf ihrem Gesichte verbreitet,
Und zog mein Herz mit freundlichen Mienen zu sich.
Ihr majestätischer Anzug erböhre ihr göttliches Ansehen.
Weiß war ihre Kleidung, durchpurpurt,
Mit bligendem Golde durchflochten.
So gieng sie in königlicher Pracht
Wie eine Tochter des Himmels. Sie war die Tugend!
An ihrer Seite führte sie einen edlen Jungling,
Dem der Fleis sich näherte, und seine Linke ergrif.
Dieser war nicht so schön, nicht so reizend, als die Tugend,
Mehr dem Bilde der Sterblichen ähnlich,
Doch gefiel er in erhabnern Mienen.
Einsthaft Gedanken waren auf seiner Stirne ausgedrückt,
Wiewol er seine geschäftigen Blicke
Bald an den Himmel, bald an die Erde heftete,
Bald vergnügt auf seine liebsten Freunde,
Die ihn von ferne begleiteren, zurückwarf.
Diese waren die Gottesgeleramkeit und die Weltweisheit,
Die Meeskunst, die Geschichte, die Dichtkunst.
Die Gesellschaft verlassen,
Er hatte eben ihre Gesellschaft verlassen,
Als er sich an den Gesprächen der Tugend
Und des Junglings, den er kannte, belustigen wolle.
Er redete mir ihr von den Verdiensten des Junglings,
Bis sie sich dem Tempel der Weisheit genähert,
Der auf einer Anhöhe gebauet war,
Und auf marmornen corinthischen Säulen ruhte.
Hier führten sie ihn hinein, des Fleisses Lieblinge folgten,
Und weissten ihn edlern Berrichtungen.
So lange hatte ich alles mit neugierigen Blicken gesehn,
Über mir ward die Thüre des Tempels verschlossen,
Der zulegt auch meinen Augen entfloß.

Ramus

Raum dachte ich an meine Freunde
Und sahn, wer es von ihnen wäre,
Der Jugend und Fleis ist glücklich machen,
So sandte ich Dich in dem Jüngling, Edler Müller.

F. G. Lüdke.
D. G. G. B.
OPPONENS.

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
RESPONDENTI

S. P. D.

E. C. NOLTENIUS, PAL. MARCH.
OPPONENS.

Publicum quoddam mei in TE amoris documentum desiderans, Amice me-
dullitus Dilecte, non mellitos verborum globulos in laudes TVAS in-
incurrentes, non insignium amicitiae TVAE documentorum commemora-
tionem, nec inania pro TVA salute vota ab integritate aliena exspectabitis,
sed talem me, quem semper habuisti, reperies. Gratulor TIBI, et ex
animo gratulor, quod stadio academico bono cum numine finito tam praeclara-
rum eruditiorum TVAE edideris specimen; gratulor splendidae TVAE fa-
miliae et omnibus, qui TIBI fauent, quod spem de TE conceptam non
modo impleueris, sed quoque tam longe superaueris; gratulor denique mihi,
quod TE arctissimo familiaritatis vinculo a teneris fere vnguiculis
coniunctum in pietate, precibus et studiis academicis in primis, fidelissi-
mum semper habuerim sodalem. Verum quo maior, qui nos inuicem in-
tercedit, amor est, eo grauior ex repentina TVO a nobis discessu exsur-
git mihi tristitia. Hoc vnuus me erigit, nihil de amicitia nostra diminui
posse, sed eandem quam maxima in dies capturam esse incrementa. Abi ita-
que, Amice Coniunctissime, quoniam Deo, Supremo rerum nostrarum mo-
deratori, ita visum est, ex Alma nostra Fridericiana, ex S. R. Praeceptorum,
qui fauore TE Suo dignum reperierunt, schola, ex Amicorum, quorum TE
vota sequuntur, amplexibus, in patriam TE expectantem, meque, quem, si vel
ad ultimam Thulem fata proiecerint, TVI tantum solatur memoria,
amare nunquam define. Vale. Dabam Halae d. XIX Sept.
MDCCLI.

Emendanda quaedam.

Pag. 9, lin. 26, lege: *bominibus*, lin. 37, *allaborare*. pag. 12, lin. 9, *videamus*, pag. 13, lin. 8,
Joan. XVI, 33, lin. 23, *obſtam*, pag. 14, lin. 26, aliter *res* fere habeat, lin. 31, *qua* homo,
pag. 17, lin. 18, *earum*, lin. 30, Pl. LXIII, 26, pag. 20, lin. 12, *futuram*, pag. 21, lin. vlt.,
(pro §. XII, lege §. III) pag. 23, lin. 26, *exinde*, lin. 33, *ſensatione*, pag. 26, lin. 14,
§. Cur. XII, 10, pag. 29, lin. 15, *entenſus*; teliqua B. L. prementi fessinatibus dabit.

01 A 6710

ULB Halle
003 092 364

3



Sb.

Zwischen





DISSE^TRAT^O THEOLOGICA
DE
G A V D I O
I N S P I R I T V S A N C T O
TANQVAM
GENVINO VERA E RELIGIONIS
C H R I S T I A N A E C R I T E R I O :

QVAM
SVB AVSPICIIIS DIVINI NVMINIS
P R A E S I D E
VIRO SVMME REVERENDO AMPLISSIMO
ET DOCTISSIMO
A D A M O S T R V E N S E E
S. S. THEOL. PROFESSORE PVBL. EXTRAORDIN. PASTORE
AD AEDEM B. VLRICI LONGE MERITISS. GYMNASII HALENSIS
SCHOLARCHA GRAVISSIMO NEC NON COLLEGII QVOD IBIDEM
PAUPERVM CVRAM GERIT ADSESSORE
SPECTATISSIMO
PATRONO ET PRAECEPTORE SVO
SVMMA PIETATE AETATEM COLEND^O
AD DIEM SEPTEMBRIS MDCCLI
H. L. Q. C.
PVBLICO PLACIDO QVE ERVDITORVM EXAMINI SISTET
AVCTOR
V A L E N T . C H R I S T O P H O R V S M V L L E R V S
SANDOA - MAGDEBURGICVS
S. S. THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE CVLTOR.
HALAE, IMPRESSVM APVD I. IVST. GEBÄVERVM.